AD
AMPLISSIMUM VIRUM
FLAMINIUM CORNELIUM
SENATOREM VENETUM
EPISTOLA.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO
FLAMINIO CORNELIO
SENATORI VENETO

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.

QUoniam epiſtolicum commercium, cujus Tecum frequentandi, Senator præſtantiſſime atque doctiſſime, occaſionem haud raro mihi largiuntur ſtudiorum noſtrorum fœtus, quos ſcilicet communicare invicem in more habemus, certiorem ſemel iterumque ac nuperrime etiam me reddidit, fore ut Tibi valde arrideret collectio Polemicarum mearum Epiſtolarum in unum volumen; inii tandem conſilium deſiderio tuo obtemperandi, eaque ratione quæ animo tuo, erga Catholicæ Religionis commoda maxime propenſo, pro ingenii mei tenuitate, reſpondeat. Speras ſiquidem ejuſcemodi collectionis ope Armamentarium excitatum iri oppugnandis Heterodoxorum erroribus multo opportunius, quam ſi Epiſtolæ illæ meæ, prout ſingillatim ſunt editæ, ita ſeu ſeorſim vagari perſeverent, ſeu locum ſortiantur in iis Decadum tomis, quorum jam aliquot

Digitized by Google

extant, a ſemetipſis per alias diſparis prorſus argumenti diſſociatæ. Fortiorem earundem virtutem futuram, ſi juncto univerſæ agmine prodeant, ego quoque confido, eoque libentius monitis tuis morigerabor. Imo vero in animum induxi, hiſcemet literis Tibi exhibere prodromum veluti quemdam novæ illius Panopliæ quam citius a me adornandæ. Tuis nimirum oculis ſubjiciam pugnæ, quam, curante me Epiſtolarum Card. Regin. Poli Editionem, adverſus Catholicæ Fidei hoſtes per multos annos jam gero, vices eventuſque. Huic argumento ut in præſens calamum applicarem, effecerunt Acta Eruditorum Lipſiæ publicata an. MDCCLII. quæ hiſce diebus meas ad manus advenerunt. Ibi etenim a pag. 106. ad pag. 121. ad examen revocari comperio Epiſtolarum earundem volumen III. initio ducto a quibuſdam Animadverſionibus, quibus judicium de binis prioribus voluminibus ante ſex annos a ſe pronunciatum vindicare aggreſſi ſunt. Itaque ſtatim demonſtrandum ſuſcipio, vindiciis illis, aliiſque Animadverſionibus, quas ibidem in Actis ſubjunxerunt, id unum profeciſſe Lipſienſes, ut juſtior quam antea mihi ſit cauſa de proſpero pugnæ illius ſucceſſu gaudendi.

Primo loco ajunt ipſi, olim ſe notaſſe, *Polum, ſi tanta de ſalute Regis, & incolumitate Regni ſollicitudine fuit affectus, lenioribus ſuaſionibus, & blandioribus adhortationibus animum ejus conciliare debuiſſe, quo facilius aurem accommodaret*. Hæc ipſa verba, & alia, quæ inferius afferunt de eodem argumen-

mento, quippe quæ imprudentiæ Polum inſimulent, minime tamen *Odii Vatiniani & Novercalis*, gratulandi mihimetipſi occaſionem largiuntur, quod videam criminationem, quam adverſus eundem diu multumque contorſit Schelhornius, ceu iniquam vel ipſos hujus Sodales reliquiſſe & abjeciſſe, iis rationibus certe permotos, unde eam iniquiſſimam eſſe pluribus meæ illius Editionis locis luce meridiana clarius evici. Quoniam autem ſubdunt Lipſienſes, *Non quæritur de eo quid ad amicos ſuper hac re ſcripſerit* (Polus), *ſed num verba illa dura & inclementia excuſari poſſint*, in promptu mihi eſt reponere, præter ea, quæ Polus ſcripſit ad amicos, allegata a me fuiſſe, quæ ab eo ad ipſum Regem Henricum conſcripta noſcuntur, & quidem in libro *Defenſio unitatis Ecleſiæ*, quem tamen odium illud teterrimum undique ſpirare affirmat præfracte doctor ille Memmingenſis. Odium illud prorſus evertit vel ſola eodem libro comprehenſa peroratio, qua certe nihil amantius. Exordium enim ita ſe habet: *Ventum eſt aliquando tandem, Princeps, ad eum locum, quem ego jamdudum, quaſi quendam ex longa jactatione portum expetebam; ut poſtquam ea, quæ tute tibi contraxiſti, mala ac pericula demonſtravi, deinceps expeditiſſimam ſalutis viam tibi oſtendam. In quo ſi uſquam alias, attentione tua, & in auſcultando æquitate mihi in primis opus eſt: nunquam enim rem majoris momenti a quoquam audies, niſi aliquid majus corporis ſimul & animi ſalute cogitari poteſt. Quæ enim ſum dicturus, ad utriuſque ſalutem ſic pertinent, ut niſi*

ea

ea nunc ex me audieris, ſero ſis fortaſſe aliorum remedia auſcultaturus, ſero auxilium imploraturus. Mala namque omnia ante te opprimènt, quam quiſquam ſuccurrere, atque opitulari poſſit. Quare, ſi unquam ulla in cauſa, nunc maxime attente omnia audire te oportet. Sed quo pacto me de tua ſalute loquentem auſcultare poſſis, quo pacto credere iis, quæ ſim dicturus, qui, ſi ulla verborum contumelia oſtendere poſſit animum inimicum, ea dixi in nomen, & facta tua, quæ nemo unquam hoſtis tibi objecit, nec plura poſſet obiicere, qui maxime hoſtili in te animo eſſet? Quid ergo? inimico ne, qui tam aperte, & tanta verborum licentia tibi inſultaverit, operam dare, aut aliquid credere debes, quaſi de ſalute tua poſtea dicturo? Auſcultare quidem nihil prohibet etiam iniquum, Princeps; neque ego tamen, utcunque ex verbis, atque oratione hoſtis videor, tibi unquam inimicus fui, nec aliud nunc a te peto, niſi ut me tua cauſa benigne audias; poſtea tantum credes, quantum tibi res ipſa perſuaſerit in rem tuam fore. Nunc tamen auſculta. Concluſio autem hujuſmodi eſt: *Hic ergo abrumpamus orationem, & finem faciamus, ſi hoc tantum de univerſis, & ſingulis, quæ in hoc libro ſcripſi atteſtatus ero, me non aliter ſententiam meam in his, quibus rogatus ſim, dixiſſe, quam feciſſem, ſi ad tribunal Chriſti dicere debuiſſem. Atque hæc tamen perinde erunt, ut ea acceperis: nam ſi quo animo a me ſcripta ſunt, acceperis, hoc jam affirmare audeo, Chriſtum in maximam & tuam, & regni tui totius ſalutem, ea eſſe* con-

converſurum: ſin aliter interpretatus eris, mihi profecto nocere non poterit perverſa interpretatio, niſi hactenus, quod illi exitioſa fuerit, cujus ſalutem ſupra omnes res humanas cupio. Ego quod mei officii fuit, abunde feci, buccina, ut inquit Ezechiel, de iis, qui impendentis propter peccata calamitatis, & Dei vindictæ homines admonent, inſonui. Quod ſi tu auſcultare recuſaveris, ſequuntur in te verba Prophetæ: Audiens quiſquis ille eſt ſonitum buccinæ, & non ſe obſervaverit, veneritque gladius, & tulerit eum: ſanguis ipſius ſuper caput ejus, ſonum buccinæ audivit, & non ſe obſervavit, ſanguis ipſius in ipſo erit. Ego vero, qui Dei ſententiæ veritatem aperui, peccata oſtendi, impendentis calamitatis admonui, & rationem effugiendi monſtravi, quicquid acciderit, coram Deo, & hominibus, hoc meo ſcripto fidem meam libero. Atque hic tandem Dei miſericordia per Chriſtum fretus, Prophetæ verbis pro vobis concludam: Convertimini, & agite pœnitentiam, & non erit vobis iniquitas veſtra in ruinam. Diſpeream, ni hujuſmodi perorationis, & concluſionis voces omnes, apices ſinguli ita Poli erga Henricum ſtudioſiſſimam pietatem ipſimet Regi declaraverint, ut nihil prorſus opus ſit, eandem ex Poli ad amicos literis expiſcari. Utique & ipſe Cardinalis Contarenus, quem Acta recenſent inter amicos, *qui illam verborum duritiam, & ſermonis virulentiam æquis animis ferre non potuerunt*, poſtquam opus illud integrum ob oculos habuit, doluit vehementer de obfirmato Henrici in ſchiſmate

ani-

animo, *præſertim* (ait ipſe in literis Polo datis) *cum Opere illo tuo tam eleganti, tam erudito, ac egregii cujuſdam, quin potius ſingularis erga eum ſtudii pleno admonitus fuerit*. Falſum autem omnino quod ſubdunt Acta, *Polum ſibi non ſemper conſtitiſſe, ſed prout affectuum æſtu fuerit agitatus, modo lenius, modo aſperius locutum fuiſſe*. Jam vidimus æſtu amoris & pietatis unice Polum agitatum fuiſſe, dum librum *Defenſio &c.* compoſuit, etſi idem Schelhornius affirmet, ſe valde dubitare, *An ab orbe condito unquam aliud Scriptum injurioſius in Regem, & Magiſtrum ſuum a quodam in lucem emiſſum ſit*. De hoc ipſo dubitandi ingenue faſſus eſt Polus, uti eum dicentem audivimus, aliquam cauſam præbere potuiſſe contumelias, quibus reſperſus eſt liber ille; at quoniam eaſdem dulciſſima caritate, uti pariter vidimus, temperavit, inique faceret quiſquis in aliis Poli Scriptis ad earum contumeliarum corticem potius quam ad temperamentum illud reſpiceret.

Acriter inſtant Lipſienſes, *Quis a ſe, ut credat, impetrare poteſt, Polum in Aulis multum verſatum, voluiſſe animi ſui ſententiam omni ex parte patefacere, non illius aliquam partem pectore clauſam ſervaſſe? Imprudentiæ certe inſimulandus eſſet Polus, & fine ſuo excidiſſet, ſi omnia dura illa verba, ac pernicioſa molimina Eduardo filio, eidemque in Regno ſucceſſori, repetere voluiſſet, quem tamen ſuis partibus adjunctum cupiebat*. Valde miror Lipſienſes adeo alienos ſe exhibere ab inurenda Polo impruden-

dentiæ labe, dum Eduardum Regem in Epiſtola ad eum data alloqueretur, poſtquam iidem intolerabilem loquendi licentiam in libro ab eo ad ejus parentem exarato palam emicare pronunciaſſent. Si Polum quoquo modo ad celandam animi ſui ſententiam natura formaſſet, adhibenda ei fuerat vafrities illa, dum Henricus regnaret, præſertim antequam ille Patavio Romam a Paulo Pontifice advocaretur; nam ſuas omnes, ſuorumque conſanguineorum fortunas, quin cunctorum vitam ipſam unius Regis juſſu ſtare eo tempore, & cadere poſſe ſat bene intelligebat. Eduardo autem ad ſolium evecto, jamque per eundem Henricum bonis omnibus mulctatus, orbatuſque fratribus, & matre etiam crudeli morte ſublatis, non erat cur ita ſollicitus foret de germanis animi ſui ſenſibus callide occultandis. Ipſos itaque ſummo candore in Epiſtola illa explicaſſe cenſendus eſt, nec aliter ſe geſſiſſe in alia ad Conſiliarios Regios Angliæ conſcripta ſtatim ac e vivis exceſſit idem Eduardus. Ea inter cætera hæc habet: *Quod autem ad privata damna pertinet, quæ ipſe inſignia a ſuperiore Rege ſum paſſus, cum in rebus meis, tum vero maxime propinquorum meorum, atque adeo in tota familia, quæ cum non infimum locum inter illuſtres domos teneret, injuſtis modis pene funditus eſt everſa; quod etiam ad eos attinet, qui ſimilibus damnis affecti, ad me, ut afflictis eorum rebus ſuccurrerem, confugerunt, hoc quidem vos ſcire volo: Cum hæc a me aut ſilentio præteriri, aut negligi naturalis*

 meus

meus in meos amor non patiatur, de quibus ut vobiſcum etiam nunc agam, ipſum Conſilium veſtrum, quod ejuſmodi res ante omnia tractare ſolet, mihi opportunitatem præbet; tamen nec pro alienis aliud ſum a verbis, aut hoc ipſo tempore, aut alias unquam poſtulaturus, niſi quæ cum publica pace, & eorum ſalute convenire poſſunt, quibus Divina providentia Regni gubernacula jure erunt tradita. Hoc enim ſpecto, & ſemper ſpectavi, ut publica privatis anteponerem, maxime autem hoc tempore, cum publica in tanto periculo poſita eſſe video, ut, niſi prius illis conſtitutis, fruſtra de privatis cogitemus. Piaculum certe patraret quicumque iſta legens non animo tantum candido, ſedato, & labis cujuſvis experte præditum Polum fuiſſe fateatur, ſed præterea omnimode religioſo.

En igitur quomodo, etſi non extarent Poli ad amicos literæ, adhuc tamen ſuppeterent indubia documenta, unde minime liceret in dubium vocare ſinceros molleſque ejuſdem in Regem Henricum affectus, videlicet Opus huic inſcriptum, Apologia ad Eduardum ejus filium, literæ ad Conſiliarios Regios Angliæ poſt Eduardi mortem exaratæ, quibus aliæ etiam addi poſſunt ad eoſdem vivente Henrico ab ipſo Polo datæ, & a me recitatæ inter Monumenta præliminaria primi tomi meæ Editionis. Cæterum adeo abſum a largiendo Lipſienſibus, literas illas ad amicos parum efficaces reputari debere ad rem, de qua agitur, comprobandam, ut contra ſentiam, nullam adeſſe cauſam,

cur

cur iiſdem pleniſſima fides non habeatur. Quænam, quæſo, fuiſſet cauſa, cur Proceres Romanæ Sedis, & Adminiſtri ad Chriſtianam Remp. moderandam ab uno eodemque Pontifice delecti, iidemque ſanctiſſimi ſapientiſſimique, mentem ſuam & reconditos quoſcunque ſenſus ſibi invicem abſque ullo fuco patefacere refugerent? Uſi ſunt illi ſumma libertate vel ipſum Supremum Hierarchiæ ſuæ Caput alloquentes, adeo ut in Epiſtola ad Paulum III. typis Romæ edita Innocentio XII. Pontifice, Contarenus, quem Apoſtolici Senatus Catonem nominat Pallavicinus in Hiſt. Conc. Trid., ita ſcribere non dubitaverit, *Non igitur pro arbitrio conſtituat leges Pontifex, non pro arbitrio abroget, non pro arbitrio diſpenſet.* Tota ea Epiſtola ſanctum ſcribentis candorem undique monſtrat, & eo uſque proceſſit Contareni libertas, ut Pontificem hiſce verbis monere religioni non duxerit: *Pater Beatiſſime, Tu qui doctrina excellis, & rerum experientia, naturalique prudentia plurimum vales, perpende an ex hac doctrina temere Lutherani anſam ſumpſerint componendi libros illos ſuos de Captivitate Babylonica. Nam, per Deum immortalem! quæ major captivitas, & ſervitus induci potuiſſet Chriſtiano populo, quam hæc quam profitetur horum Juriſperitorum doctrina, de qua agimus?* Paris candoris documenta exhibent Epiſtolæ quamplures in ea, quam modo Lipſienſes expendunt, Editione comprehenſæ. Operam itaque ludunt iidem, dum putant perſuadere aliis ſe poſſe, illarum Scriptores ingenuos animi ſui ſenſus ſoler-

ter obtexiſſe, & quotquot alii id ſibi perſuadeant, una ſimul demonſtrant ſe veritatem ipſam inſectari.

Ex omnibus hiſce hactenus per me allatis etſi apertiſſime pateat, Polum ſibi ſemper conſtitiſſe in teſtanda ſua erga Regem Henricum pietate non amicis tantum, ſed Henrico ipſi, ſed Eduardo ejus filio, ſed Angliæ Conſiliariis, attamen Lipſienſes potius quam victas dent manus regerere audio: *Nobis hæc lex eſt fixa de hominum actionibus, non tam ex illorum verbis, quam actionum natura atque indole eſſe judicandum;* objeceranrque antea Legationes, quas obiit Polus juſſu Pauli Pontificis ad Imperatorem, alioſque Principes adverſus Regem Henricum, & Regnum Angliæ armandos, utque oſtendatur eo vere ſpectaviſſe eaſdem, allegatur Poli Apologia ad Carolum Imperatorem: *Non hic* (addunt Acta) *opus eſt ſuſpicionibus, & hariolationibus: clamant hoc ipſius verba, quæ ex Apologia ad Carolum V. Imperatorem in his Novis Actis A. 1747. Menſe Aug. p. 452. enotavimus*. Priuſquam recta ipſis reſpondeam, ſinant me mihi ipſi gratulari, quod, quemadmodum in Poli libro *Defenſio &c.* ſolam imprudentiam taxarunt, non odium *Novercale & Vatinianum*, cujus opifex Schelhornius, pari æquitate modo eoſdem abſtinuiſſe videam a citandis binis Concionibus, ſcilicet ad Cæſarem, & Angliam, quibus tamen maxime innixus idem Schelhornius Poli Legationes nulla ratione excuſari poſſe affirmavit. Cenſeo itaque vel ipſos Lipſienſes intellexiſſe rhetoricum Schematiſmum in iis Concionibus palam enitere, eoſque mecum

cum fateri atram Schelhornii oculos infuſcaſſe caliginem, ne illum pervideret, etſi eidem minime ignota fuerint verba, quibus Oratio ad Cæſarem concluditur: *Sed quid ago* (ait Polus) *qui orationis æſtu ablatus, pene videor oblitus quocum ſermonem babeam? Tanquam cum Cæſare, non Tecum, Princeps, agerem, Orationem bic ad Cæſarem incluſi.* Sævitia (ut alibi ſcripſi) quæ Poli animo inſideret, exerenda ab eo fuiſſet Concionibus illis per Angliam, per Germaniam, & alias Europæ nationes diſſeminatis, non vero traditis ad legendum uni Henrico, libroque manu tantum exarato, ejuſque mandatis confecto, ſoli ipſi deſtinato, atque omnino clanculum tranſmiſſo, ne a quoquam præter Regem ipſum legeretur. Venio nunc ad Apologiæ verba, quæ Lipſienſes objiciunt, ac confidenter affirmo, ea, quibus ipſa concluditur, palam oſtendere, ibidem haud diſſimiles de Angliæ malis curandis ſenſus proferri ab iis, quos Polus literis ad Card. Rodulphum Carpenſem declaravit, videlicet *finem Legationis ſuæ fuiſſe, ut religio in antiquam ſtabilitatem reduceretur, unde Regno quies & ſalus, & Regi ipſi bonor, & Eccleſiæ pax ad Chriſti gloriam conſequi poſſit*. Ita autem ſe habet Apologiæ illius concluſio: *Verum boc ad argumentum alterius libri adjungetur, qui bunc, Dei ſpiritu adjuvante, ſequetur; quod quidem eo libentius aggrediar, quo magis ſcio, antequam boc oſtendere poſſim, mibi neceſſe fore ad illos fontes accedere, quibus niſi irrigetur Regni ſtatus, ut fructus aliquos felicis vitæ ferre poſſit, ne ſperari*

qui-

quidem poteſt. Illuc autem jam perveniſſe nimis cupio, ut aliqua tandem ſuavi oratione, quam ex illis expecto, quaſi aquæ mulſo os abluam, qui præteriti ſermonis acerbitatem nimis amaram, quaſi abſynthium, guſtaſſe adbuc in ore ſentio. Quo quidem genere ſcribendi, niſi cum neceſſitas cogit, non minus abhorreo, quam ſanus abſynthium bibere. Quare ut abluatur os aliqua ſuaviori oratione, nimis jam deſidero, quod ſtatim aderit, ut illas aquas attigero, ad quas ſcilicet veri bonoris fructus, & potentiæ Regum, qui maxime eorum ſtatum ſuavem reddere poſſunt, & verum odorem felicitatis, nec alibi me reperturum ſpero. Quid, amabo, clarius? quam de Rege Henrico Polum ita ſemper ſcripſiſſe, ut ipſi Ovidii verſus aptari poſſint:

. . . . *Amor inſtat amanti,*
Ad Tanaim fugias, uſque ſequetur amor.

Sed quoniam factis potius, quam verbis de actionum natura, atque indole judicare conſueverunt Lipſienſes, bina afferam facta, quibus nihil aptius ad evincendam Poli lenitatem, & erga Henricum pietatem. Polus Anglicam Legationem ſuſcepturus, itineris ſocium ſibi delegit Gibertum Epiſcopum Veronenſem, *cujus* (inquit ad Rodulphum Carpenſem ſcribens) *ſumma officia amoris & pietatis plena in ipſum Regem extiterant, dum rerum Romanarum ſub Pontifice Clemente gubernacula teneret, quem tota noſtra Natio amiciſſimum ſemper, & officioſiſſimum in ſe eſt experta, cujus etiam officia ſibi gratiſſima Regem præ-*
di-

dicantem ſæpe audiveram. Verbis igitur, quæ in eadem Epiſtola præcedunt:*Medendi duæ erant rationes, altera per chirurgiam (ut medicorum more nunc loquar) altera per diætam; cumque priorem illam complures in tam inveterato morbo dicerent eſſe adbibendam, id quod ſane multi in Inſula ſe ſentire ſumptis armis oſtenderant; an quod molliorem viam ſecutus ſim, quod rationem per diætam curandi prætulerim, quod ſemper, ut mitior via iniretur, multis repugnantibus pugnaverim, ideo ne erravi?* verbis, inquam, iſtis, quibus fidem præſtare renuunt Lipſienſes, en quomodo factum reſpondeat. Factum aliud æque evidens eſt, quod, quum Rex Henricus edidiſſet Capita quædam ad religionem ſpectantia, quæ aliquibus quidem Catholicis dogmatibus favebant, at nulla in iis mentio fiebat de Unitate Eccleſiæ, ſeu de Uno in terris Chriſti Vicario, & muſſitarent ad hæc Orthodoxi plerique omnes; Polus contra de iis a Contareno conſultus, gaudio exiliiſſe viſus eſt, indeque illi reſcripſit, *Ovem tam pretioſam, etſi longe a grege errantem, jam tamen reſpectantem, non eſſe negligendam, ſed omni cura & ſollicitudine revocandam; benignum reditum ei permittendum: utcumque initio repugnare videatur qui reducendus eſt, multa tamen eſſe, quæ veriſimiliter eum rediturum promittant*. Præ eodem gaudio luſiſſe quodammodo viſus eſt in verbis, ita ſcribens: *Nunc ſolo capitis dolore videmur laborare, haud ita quidem periculoſo malo, ſed tamen gravi. Quod ſi eadem Dei miſericordia, quæ*

e

e corpore morbum repulit, tollere dignetur, jam qui periculoſiſſime ægrotabamus, ſalvi eſſemus. Utcumque vero apud ſe divina illa Sapientia de Capite decrevit, quæ ſic malum, quod in totum corpus ex Capite ſe transfundere parabat, reſecavit, ne intus penetrare poſſet, non nos penitus ejectos eſſe oſtendit, ſed bonam quoque ſpem, perbrevi integram ſanitatem totum corpus recuperaturum, me habere quaſi jubere videtur. Quod ut quam breviſſime ad ejus honorem fiat, aſſiduis precibus precari non deſino. Orthodoxis illis pleriſque muſſitantibus adverſus editum ab Henrico Edictum illud volens, libenſque, ſi qua livoris macula præcordia ejus infeciſſet, ſuffragium utique ſuum Polus adjunxiſſet; utique, inquam, niſi ipſum natura finxiſſet agnum & avem, non vero tygrim atque ſerpentem. Quid autem ſibi velit *comparatio avis generatim nominatæ*, id ſat facile diſcent Lipſienſes ex verſibus Horatii Flacci Artis Poeticæ initio,

Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim,
Sed non ut placidis coeant immitia, non ut
Serpentes avibus geminentur, tygribus agni.

Licentiam hujuſmodi ſeu geminationis, ſeu transformationis, quæ Poetis non datur, nefas eſt Hiſtoricos ſibi arrogare, præſertim in literario Areopago conſidentes ad pretium doctorum Virorum laboribus ſtatuendum.

Solutis divulſiſque a me nodis, quibus Poli Cardinalis geſta, & ſcripta implicare ſunt niſi Lipſienſes ad offundendam Lectorum oculis caliginem,

ginem, unde Viri illius erga Regem Henricum pietas immanitatis ſpeciem præſeferret, progredior nunc ad culpas illas expendendas, quibus iidem binos Pontifices, nimirum Hadrianum VI. & Paulum III. obnoxios fuiſſe contendunt. Clamant itaque, diſertum de corruptis Romanæ Eccleſiæ moribus perhibuiſſe teſtimonium Hadrianum in Commentario, ſeu Inſtructione ad ſuum in Germaniam Nuncium Cheregatum. His ego reſpondi, æquis auribus a Catholicis excipi articulos quotquot ad Reformationem pertinentes in eo Scripto continentur; poſtea vero ſubdidi, pari æquitate Heterodoxos accipere debere quæ de perverſo eorundem Schiſmate ibidem tradita reperiuntur, ac proinde fateri ipſos, juſtam eſſe comparationem, quam inter Lutheranos, & Mahomedanos inſtituit Pontifex ille Sanctiſſimus, ac ſapientiſſimus. Meum hoc dictum hiſce verbis iidem coarguunt: *Egregia certe argumentatio! Proteſtantes Scriptum Pontificis in aliquibus laudant, & probant, igitur omnia: quam argumentandi rationem Dialectices periti minime ferendam judicarent, quod a particulari ad univerſale non valeat conſequentia.* Argumentandi ratio, qua ipſe ſum uſus, non eſt *a particulari ad univerſale*, ſed *a pari.* Dixi igitur, quoniam Hadrianum VI. idoneum omnino teſtem, integerrimum, ac locupletiſſimum ſe habere gloriantur Adverſarii in cauſa Reformationis, par eſſe, ut ipſi magni quoque faciant ejuſdem auctoritatem in reliquis cauſæ eidem adjunctis. Con-

C ſe-

ſequenter utique agerent ad normam Dialecticæ ratiocinationis, ſi de fide teſtis, quem pro religioſiſſimo habent, minime ſuſpicentur, dum ita loquitur: *Non debet autem revocari in dubium, quod per Concilia generalia & univerſam Eccleſiam conſtat eſſe approbatum tanquam fide tenendum: Injuriam namque facit Eccleſiæ Synodo, qui ſemel recte diſpoſita nititur in dubium revocare. Quid enim unquam certi eſſe poterit inter homines? Vel quis contentionum diſputationumque finis erit, ſi præſumptuoſo, & perverſo cuique libertas, ſeu licentia erit recedendi ab his, quæ non unius, neque paucorum, ſed tot ſæculorum, & tot ſapientiſſimorum hominum conſenſu, & Catholicæ Eccleſiæ (quam Deus in his quæ ſunt fidei nunquam errare permittit) determinatione ſancita ſunt, cum tamen unaquæque Civitas leges ſuas inviolabiliter obſervari exigat? Quomodo non omnia turbationibus & ſcandalis, & confuſione plena erunt, niſi ea, quæ ſemel, imo ſæpius maturo judicio conſtituta, ab omnibus inconcuſſe obſerventur? Cum igitur Lutherus, & ſui Concilia Sanctorum Patrum condemnent, ſacros Canones comburant, & cuncta pro arbitrio ſuo confundant, ac totum mundum perturbent, manifeſtum eſt, eos tanquam publicæ pacis inimicos, & perturbatores ab omnibus ejuſdem pacis amatoribus exterminandos eſſe.* His verbis Germanos ſuos, eorumque amantiſſimus Hadrianus VI. poſt allatos ſeptem articulos ad Reformationem ſpectantes, monendos Nuncio ſuo præſcribit, eoſque tandem orat, ut

ut animadvertant ad grandem injuriam, *quam Lutherani Deo, & ſacræ Religioni ejus, & maximam ignominiam, quam toti nationi noſtræ Germanicæ, ipſiſquemet Principibus, & maxima opprobria, & maximam contumeliam, quam Majoribus eorum, quos, ut diximus, in effectu ad Gebennam condemnant, inferre noſcuntur.*

Venio nunc ad Paulum III. Huic Lipſienſes crimen impingunt præſtitæ fidei commentis artis divinatricis. Notaveram ego calumniam hanc a Schelhornio præſertim ſuperſtructam fuiſſe fundamento prorſus ruinoſo, nimirum Genituræ Cardinalis Alexandri Farneſii (poſtea Pauli III.) tempore obitus Leonis X. confectæ *ab excellentiſſimo Aſtronomo D. Paride de Mantua*, & Cardani Commentariis in Ptol. de Aſtror. Judic. ſubjunctæ, poſtquam ſcilicet inventa ea fuiſſet inter arcanas chartas Petri Aloyſii Farneſii, Duc. Parmæ & Placen.; ruinoſo, inquam, fundamento, nam quoties pro germana habeatur eadem Genitura, & vera ex rerum eventu comprobata fuerint quotquot in eadem de Cardinale Farneſio prænunciabantur, inde neceſſario conſequeretur, artem illam divinatricem plurimi eſſe faciendam; quæ tamen deſipientia adeo in Schelhornium non cadit, ut illam pro merito condemnet in Obſervatione, quam de eo argumento inſtitui. Hæc ego lato calamo ſcripſeram in Tomo II. meæ Editionis a pag. XLVII. ad pag. LVI. atque ad illa Lipſienſes remiſeram in meis ad Judicium eorundem Animadverſionibus,

At iidem in præſens ceu illorum omnium ignari ita ſcribunt: *Quam labem ut a Pontifice ſuo depelleret, provocat Antiſtes Purpuratus ad Hieronymum Fracaſtorium in Epiſtola nuncupatoria libelli de Homocentricis dicentem, Paulum multo ſtudio circa ſyderum, & cœleſtium orbium contemplationem verſatum fuiſſe, ut annum reformaret, & ſolaris curſus ad vera æquinoctia reduceretur, ſuccurreretque lapſis Cyclis*. Haud profecto opus habui pro ea labe eluenda ad Fracaſtorii Epiſtolam confugere, ſed depulſa calumnia, de qua agitur, Fracaſtorium in ſcenam adduxi ea tantum de cauſa, ut conſtaret, quodnam fuerit Aſtronomiæ genus, quod Paulus III. perdidicit, adamavitque, non innocuum tantum, ſed ſapientiſſimi Pontificis mente digniſſimum ex ipſius Fracaſtorii teſtimonio. In libello enim de Homocentricis inſcripto, Pauloque ipſi nuncupato, ac typis edito an. MDXXXVIII. Epiſtolam ille præmittit, qua narrat, ſe ab Epiſcopo ſuo, Joanne Matthæo Giberto, impulſum fuiſſe, ut ipſi Pontifici, non vero ſibi, Opus illud dicaret, *præſertim quod is poſt religionis, & Chriſtianæ Reip. curas nullo alio magis tenetur ſtudio, quam totius Philoſophiæ, præcipue illius, quæ circa ſydera, & cœleſtes orbes verſatur*. Fructum autem, quem præcipue Pontifex ex eo ſtudio relaturus foret, his verbis declarat, Paulum ipſum affatus: *Quod ſi & ea quoque te tenebit tum digna, tum neceſſaria cura, quæ Julium Cæſarem Pontificem Maximum habuit, reformandi anni, &*

So-

Solaris curſus ad vera æquinoctia reducendi, ſuccurrendique lapſis Cyclis, hinc te non invitabunt modo, ſed apertiſſimam viam oſtendent ſydera. Hæc quum legere potuiſſent locis citatis Lipſienſes, nil cauſæ erat cur verbis paulo ante recitatis iſta ſubjungerent: *Sed quis, quæſumus, a Fracaſtorio poſtulare poteſt, ut etiam Aſtrologiæ judiciariæ mentionem injiceret, cum id neque Paulo acceptum, & Fracaſtorio detrimentoſum fuiſſet futurum, qui hoc ipſo iras Pontificis in ſe concitaſſet.* Valde & ipſe abſui ab ea poſtulatione; ſed poſtulavi, & nunc iterum poſtulo, ut Lipſienſes animadvertant, Opus illud a Fracaſtorio nuncupatum fuiſſe Paulo Pontifici juſſu Giberti Veronenſis Epiſcopi, quem Proteſtantes ipſi *Dîs cœleſtibus æquant;* inde enim facile intelligitur, eum Antiſtitem, quo longius abſuiſſe credendus eſt a divinatricis Artis deliramentis probandis, eo minus imperii, ſeu conſilii illius Fracaſtorio auctorem futurum fuiſſe, ſi qua ipſi hæſiſſet vel levis ſuſpicio fidei, quam Arti eidem Paulus quoquo modo præſtaret.

Hæc omnia, inquam, a me in eo Tomo allegata ignoraſſe ſunt viſi Lipſienſes, & ea pariter, quibus a Schelhornio aliiſque Tom. II. p. LIII. poſtulavi, num ſcilicet ipſi cenſeant, Pontificem illum conſulto ſyderum etiam aſpectu Viros ſapientiſſimos, integerrimos, atque doctiſſimos Romam undique accerſere conſueviſſe, eoſque ad Cardinalatus faſtigium evehere? Ecquiſnam erit, qui tantam devoret ineptiam? At, dicent ipſi,

Pra-

Braſcam, Paridis Mantuani diſcipulum, alioſque *ob Aſtrologiæ, quam vocant, judiciariæ notitiam ad ampliſſimas dignitates a Paulo III. provectos commemorat P. Vergerius in primo Tomo Operum adverſus Papatum p.* 269. ita enim lego in notula Schelhornii loco ſæpius citato p. 465. Non alios Aſtrologos pro graviſſimis Eccleſiæ Romanæ negotiis gerendis, ac propterea pro Eccleſiaſticis dignitatibus conferendis adhibuit Pontifex ille, niſi præſtantiſſimos, quos dixi, Cardinales. Horum unus, nemini certe ſecundus, Gaſpar Contarenus, ex hujuſce Vita a Ludovico Beccatello idiomate Italico exarata, atque inter Mss. Codices Vaticanæ Bibliothecæ ſervata ſolitus fuiſſe fertur Pontifici dicere, *Che ſe S. Santità voleva far bella la Chieſa, non accadeva più ſcriver leggi, che aſſai ne erano fatte, ma che faceſſe dei libri vivi, i quai quelle leggi faceſſero parlare, e render frutto, & queſto era fare Cardinali, e Veſcovi, che haveſſero il timore di Dio, e fuſſero dotti*. Porro Contareni ſuaſionibus iſtis facilem aurem præbuiſſe Paulum III. tot fere ſunt teſtes, quot Scriptores de ejus Pontificis rebus. Inter hos autem valde miremur oportet principem ſibi veluti locum vindicaſſe hominem Romanæ Curiæ infenſiſſimum, Petrum nimirum Aretinum. Splendidiſſimum hujus de eo Pontifice teſtimonium, quod ex ejuſdem ore vis compertiſſimæ veritatis expreſſit, non uno loco meis in lucubrationibus recitavi, & nuperrime in Epiſtola Italica ad Andream Quirinum, meum ex fratre

nepo-

nepotem. Illud ipſum, quoties oculis meis obverſatur, exoſculari in more habeo, ſuccenſens propemodum, in Aretini literis tamdiu delituiſſe, donec ſcilicet a me in lucem educeretur. Inde etiam quodammodo impellor ad veniam quandam impertiendam tot acerbiſſimis dicteriis, quibus idem homo, maledicentia ſua infamis, Romanam Curiam vellicavit. Augent autem teſtimonii illius pretium, tempus quo editum fuit, nimirum Paulo III. non recens electo, ſed annum quintum Pontificatus ſui agente, deinde mentio una ſimul ab Aretino facta egregii ſtudii, quo Pontifex ille Tridentino Concilio convocando incumbebat, inſuper Petri Bembi jam Cardinalis effecti virtutes ceu toto orbe celeberrimæ ad ſydera elatæ, & præſertim integritas, ſapientia, ſanctimonia, tandemque Apoſtolicus F. Bernardini fervor, cui acceptam refert Aretinus, quam vocat, *La Converſione Aretina*. Æque gaviſus ſum, dum in literis ejuſdem hominis locupletiſſimum aliud teſtimonium de ſancto Pauli Pontificis animo in ſuſcipiendo Itinere Nicienſi deprehendi, quod maligne taxarunt Sarpius, Curayerus, atque alii quamplures. Iterum dicam, me teſtimonia illa exoſculari, & ignoſcenda quoquo modo eorundem authori putare non ſolum *la ſtrana maniera di lodare*, cujuſmodi adhibuiſſe identidem Aretinum obſervavit Fontaninus in libro *Dell' Eloquenza Italiana*, ſed inſanam etiam illam proterviam, qua Clementi VII. ſcripſit, *Ma non ſaria ſtata peſſima la ſorte che vi ſerrò in Caſtello, ſe non v'inimi-*

micava me ancora. Incredibilem hanc petulantiam ex Apoſtoli Zeni in eundem librum Adnotationibus percepi, idemque ibidem exemplo ſuo nos monet Adnot. p 215. T. I. honeſti cenſoris eſſe dicta Aretini, quoad fieri poteſt, mollius interpretari; hac ſiquidem ratione interpretatus eſt Zenus quæ ille ſcripſerat *in un ternario del Capitolo al Re Franceſco I.*, quæque occaſionem dederant Joachimo Petionio in Oratione de Laudibus S Jo: Baptiſtæ reum religionis violatæ peragendi eundem Aretinum. Subdit Zenus, & ipſum Perionium agnoviſſe *il granchio ſolenne che aveva preſo*, ac propterea Orationem illam rurſus prœlo commiſiſſe errore eodem emendato, ſcilicet deleto prorſus in ipſa Aretini nomine. Tandem dicam, admirandum, quod Paulus III. hujuſque Cardinales a Petro Aretino retulerunt, elogium pluris quam antea a me fieri poſſe, poſtquam comperi B. Nicolao Albergato, dum nuperrime ageretur de eo in Cœlitum ſyllabum referendo, magnopere profuiſſe latum de ejuſdem innocentia ac ſanctimonia a Poggio Florentino, homine, haud minus quam Aretinus, procacis ac verſatilis ingenii, teſtimonium, quod ipſe omnium primus, teſte BENEDICTO XIV. Pont. Opt. Max. *con vera erudita ſcoperta* in lucem protuleram.

Hiſce tamen, aliiſque meritiſſimis laudibus, quibus Paulum III. ejuſque Cardinales cumulavi, minime contenti Lipſienſes, provocant ipſi ad Diſciplinæ Eccleſiaſticæ emendationem, & Scripturæ

Sacræ

Sacræ Interpretationem, negantque utramque, ut oportebat,ſat cordi fuiſſe ſeu Paulo Pontifici,ſeu ſuis Cardinalibus, amandantque me ad Diſceptationes de utroque argumento conſcriptas a Schelhornio, Kieslingio,Formejo,& J. Pacimontano. Viciſſim ego Lipſienſes remittam ad Epiſtolam,quam nuperrime inſcripſi Kirchmajero Witembergenſi Profeſſori, & præſertim ad Kieslingii, quæ in ea recitantur, ſententias, haſce videlicet, *Non excidit illi* (loquitur de Contareni ſententia in Opuſculo de Juſtificatione) *per oſcitantiam, ſed eam prolixe tradit, & ſtrenue defendit. Contarenum indefeſſum Scripturæ Sacræ indagatorem hanc ex oraculis Divinis, non autem demum ex Lutheri libris, aut Proteſtantium Symbolis hauſiſſe certo eſt certius..... Statuo bene multos vixiſſe ante Agamemnona, ſtrenuum inquam Lutherum, fortes, & in ſtudio ſanctiori perquam exercitatos Viros, quos inter non ultimum locum occuparunt Contarenus, Sadoletus, Polus, qui vatibus, laudumque præconiis non carent. Certabant ii Viri, ſi eorum eruditionem admodum diffuſam ſpectes, cum Luthero, & eidem non erant ſecundi, quin imo idonei ad maximas res in Eccleſia peragendas.* Alibi autem eundem Kieslingium in medium attuli fateri verbis diſertis non dubitantem, *Paulum III. optimis, qui eo ſæculo* XVI. *Sedem Romanam occuparunt, annumerandum eſſe Epiſcopis; ſtupendos fuiſſe labores ab eo Pontifice ſuſceptos in negotio emendandæ Eccleſiæ; naturam in tribuendis animi dotibus habuiſſe fautricem, adornatumque fuiſ-*

D ſe

ſe ingenio ad diſciplinas quasvis addiſcendas bene compoſito, judiciique acie, & prudentia in re gerenda, ultra ſuam dignitatem forti, & alacri; bene, & ſapienter ipſum egiſſe, quod Conſeſſum Virorum ſui ſæculi eruditione, pietate, & prudentia illuſtriſſimorum convocavit, ut ſententiam de emendanda Eccleſia, & Curia Romana indicarent. Dum vero addunt Lipſienſes *Paulum III. ſocietatem quidem Virorum primæ exiſtimationis ac dignitatis conſtituiſſe, qui de emendandis nævis Eccleſiæ conſilium in unum conferrent, ſed per hos ipſos medelam illis nullam allatam fuiſſe*, hæc, inquam, dum addunt, ſubdentes *Pauli conſilium in fumum abiiſſe*, ſat aperte refutantur judicio, quod de Pauli III. Apoſtolicis literis a me primum evulgatis, Feverlinus Goettingenſis Profeſſor pronunciavit, quippe qui diſertis verbis mihi gratulatus fuerit, quod ſanam doctrinam *De præcipuis ſalutis æternæ mediis* in iis Literis a Pontifice valide propugnatam in lucem eduxerim, ac poſtea affirmavit, valde ſe cupere, *Ut Summi Pontifices, omneſque Epiſcopi Parochis ſuis, Concionatoribus, & Catechetis ſeveriſſime injungant* (ejus doctrinæ) *prædicationem*. Remitto tandem Lipſienſes ad Sadoleti Orationem ad Germanos; in ea enim invenient, quæ non una tantum vice ultro Lutheranis integerrimus ille Cardinalis concedit, nimirum multa in Urbe Roma eſſe, quæ minus recte fiunt, ac propterea non inficiatur multa eſſe a vetere curriculo innocentiæ in Sacerdotibus non medio-

criter

criter deflexa, quæ correctionis indigeant; at ſubdit, arduam valde rem eſſe, mores eos, qui inveteraverunt, repente velle vertere, & commutare, idque oſtendit trium in primis Romanorum Pontificum exemplo, nimirum Clementis V. qui Viennæ, Gregorii XI. qui Avenione, Pii II. qui Mantuæ, leges de Sacerdotum moribus in meliorem cultum reſtituendis, aut renovarunt veteres, aut novas conſtituerunt, quæ tamen, ipſis etiam auctoribus tunc viventibus, obſervari ſunt deſitæ. Quare ita concludit: *Confitemur noſmetipſi & concedimus aliqua fieri in hac urbe, quæ merito reprehendenda ſint, non pauciora tamen eſſe affirmamus, quæ ſumme ſint laudanda; nuſquam enim charitas, nuſquam amicitiæ & familiaritatis fides, nuſquam in egentes miſericordia, neque ſanctius colitur, neque majore ſtudio, curave exercetur. Ipſa vero erga Deum pietas ac religio hic maxime ſancta, & ſemper ſincera eſt. Sunt quidem vitia his intermixta permulta, quod neceſſe eſt, ex omnium pene gentium conventu conflata hac civitate. Sed tamen in turba, & colluvione vitiorum, multorum eximiæ virtutes eluceſcunt, quibus æquum profecto fuit parci ab iis, qui omnes, & omnia in crimen, atque in invidiam uno nomine vocant.* Quoniam vero ad objectanda Sacerdotum, & Romanæ Curiæ vitia Adverſarii ſemper revertebantur, occaſionem inde captantes omnia pervertendi, prætextumque facinoribus ſuis ex aliorum facinoribus ſumentes, Germanos iterum in hunc mo-

dum ille compellat: *Ego ſacerdotium non exigua ex parte his temporibus contaminatum eſſe fateor, & Romana vitia non probo; ſed ea tamen ad curandum dico eſſe faciliora, quam iniquitatem eorum, qui, ut hominibus detrahant, ipſa etiam divina inviolata eſſe non ſinunt. Etenim huic Sacerdotum morbo quæ eſt adhuc a vobis allata medicina? qui, ſi reprehenſores vos morum & correctores vitæ Sacerdotibus eſſe profitebamini, debebatis ſane ipſi ſine reprehenſione eſſe. Nunc neque a vobis ullam in partem adjuti & ſublevati ſumus, & quæ manebant adhuc in Germaniæ populis virtutes, humanitas, patientia, modeſtia, quibus quidem dum virtutibus cum religione conjunctis vel maxime datum eſt rapere cœlum, & poſſidere, hæ multis per vos aut ereptæ penitus, aut certe magna ex parte turbatæ, & labefactatæ ſunt.* Apage igitur futiles exceptiones illas, quibus Lipſienſes infirmare conantur teſtimonia ex Oratione illa Sadoleti deprompta, eoque magis quod undecumque conſentiant Hadriani VI. ſententiis, præſertim quod ſpectat ad damnandos ceu publicæ pacis perturbatores quotquot authoritate ſua miſcere & novare ſtudeant res in civitate jam conſtitutas firmataſque. Mirum valde, ni inter Sadoletum & Hadrianum illud ipſum adeſſe diſcrimen contendant, quod excogitarunt inter eundem Hadrianum & Polum, dum ambo Mahomedanis (in facultates tantum & corpora, non vero in animas ſævientibus) Lutheranos deteriores habendos eſſe cenſuerunt. Ajunt ipſi,

ipſi, *Non integrum erat Polo dicterium hoc in imitationem trahere, qui enim ſpiritus fallere neſcius, erat in Pontifice ob Sedis prærogativam, idem Polo proprius non erat*. Imo *ſpiritus* ille *fallere neſcius* certos faciebat Catholicos omnes ſermonem ex ejuſdem afflatu a Pontifice uſurpatum tute ab ipſis quoque poſſe uſurpari, idque profecto multo juſtius quam Sectarii in Lutheri & Calvini verba jurantes. Quod autem ſubdunt, *Et poſſemus forte aliquem nominare qui de Pontificibus Romanis affirmare non dubitavit pejores illos eſſe Turcis, Saracenis, Tartaris, Judæis;* id mihi in memoriam revocat quæ alibi non uno in loco ſcripſi, valde dolens propudioſas in Romanum Pontificem contumelias, ac nominatim *Antichriſti* nuncupationem ſuis in Ditionibus, Academiis, imo in Aulis a Principibus, etſi aliam a Romana communionem ſectentur, tolerari, nam eidem Pontifici ſaltem ut ſupremo Principi maximam adhibendam eſſe reverentiam, jura omnia humana & divina præſcribunt.

Potius tamen quam ingenui iſti, quos in ea Oratione Sadoletus exprimit, ſenſus Lipſienſibus ſatisfaciant, eandem hi carpunt, quod ibidem ſuis coloribus pingantur ejus temporis Novatores, nimirum *truces, iracundi, impetu magis ad omnia quam ratione delati*. Ad quæ ita Lipſienſes: *Oratorum mos eſt rem exagerare, & omnem ſermonem ſuum, undecumque demum argumenta depromantur, ad perſuadendum accommodare*. Ac paulo ante iidem

dem

dem velut Axioma præmiſerant: *In querelis non tam eſt reſpiciendum ad illum qui queritur, quam quæ ſint querelarum occaſiones.* De querelarum occaſionibus audiant Lipſienſes quodnam ſtatuerit Axioma in ea ipſa Oratione Sadoletus, hujuſmodi ſcilicet: *Norunt omnes, aut certe facile noſſe poſſunt, conſtitutis jam rebus, & publica firmata re, ſive ea humana ſit, ſive divina, qui miſcere, & novare res ſtuduerunt, eos ſemper turbatores pacis, & concordiæ fuiſſe habitos. Quod ſi in hominum rebus publicis jure ita fertur, & judicatur, quanto plus Catholica in Eccleſia, quæ non humanis conſiliis, ſed divina providentia jam inde a principio conſtituta eſt, eademque tam multis ſeculis corpus ſuum ſincerum, ſolidumque retinuit, corrupta membra rejecit, optimo jure dicendum, & ſentiendum eſt.* In hunc modum Germanos Principes affatus Sadoletus, haud equidem Oratorem agit, *haud Tragica deſævit, & ampullatur in arte*, ſed veriora veris loquutus fuiſſe cenſendus eſt. Allata autem a me Sadoleti Oratione illa adeo non declinavi, uti in Actis dicitur, argumentum, adeo tacite non conceſſi, Polum in exagitando Henrico Rege modum non ſervaſſe, ut unice mihi propoſuerim demonſtrare per intentatam ab ipſis de Poli immanitate querelam eoſdem juſti pudoris fines omnes tranſiliiſſe.

Reſtant mihi denique expendenda, quæ de M. Antonio Flaminio, & Hieronymo Fracaſtorio Lipſienſes prodiderunt. Huic litem intentant, quod

in Præfatione libelli de Homocentricis ſuperius laudata uſus ſit hiſce verbis, *Paulum in ſtellas, orbemque poteſtatem, unum ex cunctis mortalibus, habere; nihil in inferiori hoc mundo eſſe, nihil in ſuperiori, quod ipſi ſe non aperiat*. Valde incommodam hanc hyperbolem eſſe rationibus non contemnendis ſe monuiſſe affirmant, ajuntque, *In hujus noſtri judicii examine dum verſatur Præſul, vel maxime contra Menchenium diſputat. Huic noſtra ope, noſtris armis non indigenti ſuas facile tuendas partes relinquimus. Id unum tantum notamus, locutiones has Fracaſtorii genuino ſenſu ſuo mortalium nemini aptari poſſe, niſi illum Deo æquare velimus, qui in eo gloriam ſuam ponit, quod ſtellas in numerato habeat, eaſdemque exercitus inſtar educat*. Menchenium Fracaſtorii Operum editorem occaſionem cepiſſe ex locutionibus illis aſperrime perſtringendi Authorem ſuum, cujus ipſe probitatem, fidem, & integritatem adeo commendaverat, ut ſcribere non dubitaverit, *Quis eſt igitur, quem bonorum Virorum amore dignum reputemus, ſi Fracaſtorium non putabimus?* nec inſuper dubitaverit eundem hoc elogio exornare, *ipſum quaſi quoddam in terris eſſe delapſum Numen;* Menchenium, inquam, poſt commendationes haſce fas ſibi eſſe exiſtimaſſe, Authoris ſui nomen contumeliis proſcindere, & quidem admodum atrociter; id certe mihi perſuadet, hominem illum, cujus, præter eruditionem, mihi comperta eſt ſingularis etiam humanitas, ſuas quandoque pati (verbo

bo ſit venia) intempeſtas . Hæc enim habet, *Non cœlo, non aſtris pepercit inverecundus aſſentator, dummodo quamcumque blandiendi inde capiat materiam;* ac tandem Italos cunctos hoc lapide petit, *Belle admodum, & ad ſervum Italorum ingenium perquam accommodate!* Ego vero facere non poſſum, quin hoc quoque loco Menchenio regeram, *Belle admodum, & ad lividum, ac mordax Heterodoxorum ingenium perquam accommodate!* Saltem, Mencheni, ad Poeticæ artis confugium, qua excelluiſſe Fracaſtorium fateris, aditus tibi patebat, ut eaſdem mollius acciperes, tuncque memoriæ tuæ occurrere potuiſſet celebre illud, *Sapiens dominabitur aſtris*. Quid vero, ſi nullius benignitatis indigæ ſanum prorſus ſenſum per ſe ſatis expromant? Poteſtatem illam aperte adſtruunt claves cœlorum a Chriſto Domino traditæ Petro, ejuſque Succeſſoribus. Nec officit, ex veſtrorum hominum ſententia, eaſdem Apoſtolis cunctis, æque ac Petro, aſſignatas fuiſſe, & poteſtatem illam æqualiter in cunctos illorum Succeſſores tranſmigraſſe; nam ſtabit adhuc ejuſdem minime expertem habendum Romanum Pontificem, Petri Succeſſorem.

Quo facilius mihi fuit inuſtam Fracaſtorii Præfationi a Menchenio ſuiſque Lipſienſibus notam eluere, eo magis ægre iidem ſe expedient a M. Antonii Flaminii Præfatione, quam ipſis objeci. Lucubrationes, quas iſte in Pſalmos confecit, ſummopere collaudant Proteſtantes, affirmantque *in ipſis*

ipſis (verba Schelhornii exſcribo) *ubivis elucere eximiam in Deum pietatem, ardenſque Numini Optimo inſerviendi placendique ſtudium, & animum divino ſpiritu repletum*. Tales itaque, tantoſque earundem encomiaſtas rogavi, ut divino pariter ſpiritu dictatam faterentur Lucubrationum illarum Præfationem; eam ſcilicet in qua hæc habet ad Paulum III. Flaminius: *Quid? quod caſtiſſimus ſummi Dei cultus, pleniſſimaque pietatis religio, ſumma omnium voluntate fidei tuæ, præſtantiſſimæque virtuti credita eſt, atque in terris maximi Numinis locum tenes. Ad quem igitur mitterem potius Explanationem Libri ſanctiſſimi, quam ad cuſtodem, & Principem omnis ſanctitatis, quem jure omnes ſanctiſſimum colimus, & nominamus?* Audio nunc Lipſienſes hæc mihi reponere, *In his Animadverſionibus haud ſemel nobis eſt viſum, Emum Purpuratum concludere de eo, quod limitatum eſt, ac determinatum ad id, quod nullis poſitis terminis affirmatur vel negatur; Logici dicerent Sophiſma a dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*. Quibus ego reſpondeo, multo perverſius ipſos ratiocinari, dum audent terminos arbitratu ſuo ponere eximiæ Flaminii in Deum pietati, ita ut quæ in ejus Lucubrationibus ubivis emicare noſcatur, ſua hac luce, finibus Præfationis illius attactis, fraudetur, ac divinus ille ſpiritus illico e Flaminii pectore abigatur.

Atque hic, poſt factam ſcilicet Fracaſtorii, & Flaminii mentionem, quam modo retuli, finem

imponunt Lipſienſes Doctores vindiciis judicii a ſe lati de binis Editionis meæ Poli Epiſtolarum voluminibus; quare & ego manum e tabula tollam, reſervato in alteram Epiſtolam quam primum edendam examine judicii, cui iidem ſubjecerunt quæ tertio ejuſdem Editionis volumine ſum complexus. Num vero vindiciis illis ſuis id unum dumtaxat aſſequuti ſint, ut proſperæ pugnæ ſucceſſus, quem initio hujus Epiſtolæ indicavi, mihi in præſens juſtius etiam quam antea, ſit adjudicandus, tuum erit modo, Senator doctiſſime, decernere. Decernes autem, ut rogo, non benevolentia, qua me proſequeris, adductus, ſed exquiſito illo criterio uſus, quo Te abundare apertiſſime demonſtrat præclariſſimum Opus ad illuſtrandas Venetiarum Urbis Eccleſias a Te ſuſceptum, jamque propemodum perfectum. Huic ipſi celebrando, æternandoque debebatur profecto ſummo jure Numiſma imagine tua recens cuſum, hacque Epigraphe inſignitum OB ECCLESIAS INLUSTRATAS ORDO ANTISTITUM VENETORUM. Numiſmatis hujus oculis contemplandi, manibuſque contrectandi nulla me capit ſatietas, nec enim in arca hujuſcemodi cimeliis aſſervandis aptata ipſum repoſui, ſed coram in tabula, cui diu noctuque aſſideo, mihi ſcribenti præſens eſſe ſtatui, quam maxime geſtiens, nactum me eſſe talem, tantumque Virum, ceu ſtudiorum meorum Inſpectorem, atque Æſtimatorem. Utinam vero exhibitæ Tibi hiſce paginis meæ illius Editio-

tionis defenſiones ſuffragium a Te mereantur, cujuſcemodi eidem largitus eſt Clariſſimus Apoſtolus Zenus in Adnotationibus poſthumis in Opus Juſti Fontanini *Dell' Eloquenza Italiana*; falſus ſiquidem eſt, Cardinalem Polum etſi ſingulari jamdiu veneratione proſequeretur, auguſtiorem tamen ſibi viſum, poſtquam eidem illuſtrando animum ipſe calamumque appuliſſem. Nonnulla præterea ex meo illo Opere data occaſione in medium ibidem attulit, unde comperiat quiſquis, hominem illum erga Scriptores omnes quos probet, quin aliquando etiam quos taxet, humaniſſimum, pondus tamen & pondus adhibere conſueviſſe; nam aliquos generalibus tantum laudibus exornat, aliorum vero quæ laudat diſtincte deſignat, ipſiſque in uſus ſuos ſe profeciſſe ingenue fatetur. Hunc Zeni morem animadvertiſſe præſtantis ingenii Virum, ac plurimi feciſſe non primum illud, ſed alterum laudum genus, quas ſcilicet vocat *ben ragionate, e poſte in luce fondatamente*, opportunitatem habui teſtandi in literis ad celeberrimum Maſcovium ſuperiori menſe evulgatis. Laboribus autem meis Zenum non alio modo, quam diſerta illa deſignatione liberaliter faviſſe, certam fidem faciunt, præter memoratas paulo ante ejuſdem Adnotationes, aliquot etiam literæ in collectione earum, quas ipſe ſcripſit, Venetis typis publicatæ; in iis enim haud raro profitetur argumenta quotquot ego tractare ſuſcepi ſive in Brixianæ Literaturæ Conſpectu, ſive in Primordiis Corcyræ, ſive in Diatriba ad Franciſci

ciſci Barbari Epiſtolas, ſive in Vindiciis Pauli II., ſive in mea quaquaverſum Poli Epiſtolarum Editione, eo monumentorum genere a me illuſtrari, quæ antea nil prorſus, aut valde obſcure innotuiſſent. Laudem hanc ipſam multo copioſius ad Flaminii Cornelii de Venetis Eccleſiis Decadas ſpectare nemo in dubium revocaverit, nam ſparta, quam adornare Ille inſtituit, intra unius Patriæ fines ſapienter incluſa, eas Ipſi gemmas ex hujus tabulariis in lucem proferendi aditum præbuit, cujuſmodi certe vix, aut ne vix quidem expectare quis poſſit a Scriptore, cui libeat (ſua tamen laude minime fraudando) per exteras quaſque regiones vagari, ac proinde neceſſe habeat ſeu Eruditorum in iis degentium Scripta compilare, aut collatitiam ſtipem ad rem ſuam ab amicis multifariam mutuari, penes quos propterea unice ſtaret narrationum ejuſdem fides. Maximam autem ineſſe fidem rebus pleriſque omnibus, quas aureæ illæ Decades complectuntur, certiſſimo documento ſunt vetera monumenta Præſtantiſſimi Authoris ſtudio detecta, manibus verſata, judicio expenſa, donoque tandem publici juris effecta. More iſto, atque exemplo trahatur utinam Scriptorum turba hac ætate factis hiſtoricis illuſtrandis ſummopere intenta! Vale.

Brixiæ die XVIII. *Julii an.* MDCCLIII.

AOl 1467764

Digitized by Google